



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

30. Dies Aprilis. Avarus nunquam habet: Prodigus nunquam habebit.
Seneca.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

nam, atque adeo hominum societatem omnem confundunt. Si nullam ab altero speres fidem; cur in civitate, vel inter homines vitam agere malis, quam in via solitudine, procul ab omnibus mortalibus? fidem enim sublatam, inter feras securior versabere, quam inter mortales. Quam est fides Divina necessaria pro salute animae: tam est humana fides necessaria pro incolumitate Reipublicae. Maneat alta mente repositum illud, quod sequitur Metrum:

In quonulla fides, in eotu quomodo fides.

30. DIES APRILIS.

Avarus nunquam habet: Prodigus nunquam habebit. *Seneca.*

Prodiga- 1.
litas.

DE Avaro postea, nunc de Prodigigo. Is nunquam habebit proles, quia eas extra necessitatem, & contra Honestatem improvidam levitate, & vacordis animi stultitia, & importunam honoris cupiditate, prodigit. In eos quidem in donando profusos, & sine iudicio liberales, quando Socrates incidisset, male iisdem imprecari solebat: quod Gratias virgines, ut scorta prostituerent. Nimirum Gratiae est conferre beneficium, deque illis bene mereri: at improvido consilio, & puerili temeritate prodigere, non gratiae est, sed protervia. Itaque virgines, & verecundas Gratias deveniunt, beneficentiae, & donorum moderatrices, & ab honoris penatibus eductas in meretricium veluti ganeas inducit, ut omnibus jam prostare indignissime videantur. Illi igitur a soti, decoctores miserandi, sunt perditum, & perdentes: perdunt enim se, sua, alicui;

enim urgere, & festinare videntur, ut quàm promptissimè onania sua inantant, & profundant, cogantque Liberalitatem nepotari. Liberalis homo non dissolutus est nepos, nec discinctus, qui sine consilio ruat, & se, ac sua pessundet. Honestatis causâ facit omnia, donat ubi, quando, cui oportet: quibus luxuries ista helluonum caret. (a) *Sapiens* (inquit Seneca) *habebit sinum facilem, non perforatum, ex quo multa exeant, nisi leccidat.* Vult iudicia dispensari omnia, non projici. Quidquid habet, nec custodit sordidè, nec spargit prodigè.

II. Mala hæc ex illo vitio profeminantur. Ex illa continua profusione, necessariò consequitur, ut tandem opes exhauriantur. Neque enim pollent felicitate illâ Midæ; ut quidquid tangant, aurum reddant: nec fontes habent argenteos, qui semper exuberent. Hinc fit, ut bonis omnibus dissipatis in morem Evangelici nepotis, egere incipiant, & nudi à fortunis in molesta & odiosa inopta versari. Hoc porrò vitium, non est unum, sed varium; non simplex, sed multiplex, ex multis sceleribus compositum. Aristoteles binas illi adjungit comites, Intemperantiam, & Injustitiam. Nam qui decoctor est patrimonii; & nimius in largiendo, est etiam ut plurimum in libidines sumptuosus, & cum gestienti lætitia feratur, in eo mentis, & modestiæ naufragio, ad scopulos dulcium voluptatum facilè adhærescit. Itaque passim convivia opipara frequentantur, & jucuuda commestationes, ludus adulatorius, pompa vestium, ludicra sumptuosa, omnium sensuum oblectamenta; uno verbo, Intemperantia adhibetur, ut opum, & familiæ moderatrix; cujus nutu, atq; imperio omnia administratur.

(a) *De vit. beat. c. 23.*

III. Hinc sequitur Injustitia. Nam cum rem omnem effusè profligaverit, & defecerint opes quibus suæ luxuriæ blandiebatur: tum vi, aut fraude, & indignis, ac illicitis modis rapit alienum, quia non solet in vitæ cursu, boni, & honesti ratione duci; sed impetu quodam animi, se, & sua non cogitantis: hinc repudiata virtute, non curat unde, & quâ ratione accipiat. Ubi verò injustitia, fraus, libido, maleficioque dominatur; facilè intelligi potest, Numinis timorem abjici, conscientiam profligari, januam aperiri multis, & magnis sceleribus, quæ non modò infamiam, & miserandam egestatem concilient; verum etiam fulmen Divinum evocent ad puniendum. Prudentes idcirco fecerunt Græci, apud quos, lege cautum erat, ut qui patrimonium prodigisset, sepulchro patrio non humaretur. Neque enim in dulci patriæ sinu condidit illos oportuit, quam dedecorassent; nec parentibus adjungi, quorum manes profusione impiâ violavissent: nec eodem cum liberis poni tumulo, quos fortunis, & ipsa propè, dicam, vitâ spoliassent. In eodem deindè loco sunt prodigi, quo stulti; utpotè ludibrium civibus, nomini suo macula sempiterna, & indigna familiæ calamitas. In eadem omnes vehuntur navi, cum pueris parvis, cum fatuis, cum furiosis qui nimirum, animo impotenti, nullius mentis, rationis, consilii, Curationis ductum, & prudentiam requirunt. Quapropter quisquis timet bonorum, & facultatum naufragium, declinet hunc prodigalitatis scopulum, & evitabit pereundi periculum. Favet hoc meum theorema:

*Qui plus expendit, quàm rerum summa rependit,
Non admiretur, si paupertate gravetur.*

QUO.